



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XLII. Quòd pax non est ponenda in hominibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

CAP. XLII.

*Quòd pax non est ponenda
in hominibus.*

FILI, si ponis pacem tuam cum aliqua persona, propter tuum sentire & conuiuere, instabilis eris & implicatus. Sed si recursum habes, ad semper viuentem & manentem veritatem, non contristabit amicus recedens aut moriens. In me debet amici dilectio stare: & propter me diligendus est, quisquis tibi bonus visus est, & multum charus in hac vita. Sine me non valet, nec durabit amicitia: nec est vera & munda dilectio, quam ego non copulo. Ita mortuus debes esse, talibus affectionibus dilectorum hominum, vt (quantum ad te pertinet) sine omni humano optares esse consortio. Tantò homo Deo magis appropinquat, quantò ab omni solatio terreno longiùs recedit. Tantò etiam altiùs ad Deum ascendit, quantò profundiùs in se descendit, & plus sibi ipsi vilescit.

2. Qui autem sibi aliquid boni attri-

tri-

tribuit, gratiam Dei in se venire impedit: quia gratia Spiritus sancti, cor ^{1. Pet. 5} humile semper quærit. Si scires te perfectè annihilare, atque ab omni creato amore euacuare, tunc deberem in te cū magna gratia emanare. Quando tu respicis ad creaturas, subtrahitur tibi adspectus creatoris. Disce te in omnibus, propter creatorem vincere, tunc ad diuinam valebis cognitionem pertingere. Quantumcumque modicum sit, si inordinatè diligitur & respicitur, retardat à summo, & vitiat.

CAP. XLIII

Contra vanam & secularem sciētiam.

FILI, non te moueant pulchra & subtilia hominum dicta. Non enim est regnum Dei in sermone, sed ^{1. Cor. 4} in virtute. Attende verba mea, quæ corda accendunt, & mentes illuminant: inducunt compunctionem, & variam ingerunt consolationē. Numquam ad hoc legas verbum, vt doctior aut sapientior possis videri. Stude mortificationi vitiorum, quia hoc